

DE  
**THERAPIAE METHODIS**  
IN  
**GENERE SPECTATIS.**

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS,**  
QUAM ANNUENTIBUS  
**MAGNIFICO DOMINO PRAESIDE ET DIRECTORE,**  
**SPECTABILI**  
**D O M I N O D E C A N O**  
AC CLARISS. DD. PROFESSORIBUS  
PRO  
**GRADU DOCTORIS MEDICINAE**  
RITE OBTINENDO  
IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM  
UNIVERSITATE PESTHINENSI PUBLICAE DISQUISITIONI  
SUBMITTIT  
**L. REMBOLD.**

---

Theses praefixaе publice defendantur in palatio  
Universitatis, die Junii 1836.

---

**B U D A E,**  
**TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.**

## INDEX ET THESES.

---

- I. **A**d morborum diagnostin requiritur, ut non tantum symptomatum *complexus* noscatur, sed ut eorum quoque *nexus* pervestigetur. (§§. 1. 2.)
- II. Sicuti *merus empirismus* naturae humanae non quidem satisfacit, sed persiciendae theoriae atque arti medicae tamen utilis esse potest; ita *hypotheses*, ad quas condendas stimulamur, nocere quidem transitorie possunt, sed pedetentim tamen ad theoriam et artem medicam magis magisque persciendam conferunt. (§§. 3. 4.)
- III. Licet causa proxima morborum non sit *in humoribus* quaerenda; evacuationes tamen artificiales ab humoralistis laudatae in aliquot casibus necessariae sunt. (§. 5.)
- IV. Etiamsi notitia nostra *imponderabilium* nondum sufficiat curae morborum adornandae; haec tamen explicatio morborum ex influxu imponderabilium nequam vilipendenda, sed excolenda est. (§. 6.)
- V. Causa morborum *omnium* proxima *nequit esse in nervis.* (§. 6.)
- VI. *Classificatio* morborum necessaria est; sed respectu contagii et sanabilitatis morbi haud forent dividendi in acutos et chronicos. Ceterum *classificatio magnis pre-*

mitur difficultatibus ob usum loquendi haud amplius extirpandum atque ob rei ipsius naturam. Expositio autem morborum secundum *divisionem mero empirismo innixam* vires humanas transcenderet. (§§. 8—10.)

VII. *Effectus quidem pharmacorum* secundum leges, quibus subsunt chemismus, fluxus imponderabilium, et ipsa organisatio, aestimari debet; sed leges organisationis recte maximas huic iusfluxui aestimando opponunt difficultates. (§§. 11—14.)

VIII. Exceptis hinc inde casibus chronicis, *methodus derivans* (sive sola, sive cum aliis methodis conjuncta) utiliter ad morbos sanandos adhiberi potest. (§. 15.)

IX. Methodus, quae contraria contrariis opponit, (i. e. *antiphlogistica, roborans, stimulans,*) in pluribus casibus *a nulla* alia methodo suppleri potest. (§. 16. §. 5. §. 19. III. IV.)

X. Methodus, quae similia similibus impugnat, (*quae alterat, usum acidorum, narcoticorum adhibet,*) minorrem quidem organismi reactionem elicit, sed recte ideo *qualitative organismum* mutare valet. (§§. 17. 18.)

XI. Methodus haec, similia similibus impugnans, in regula quidem adhibet *doses refractas* pharmacorum, quae stimulo morbum causanti saltem *aliquatenus opposita esse* debent; sed eadem methodus ob exhaustionem virium et ob „periculum in mora“ saepius adhiberi nequit. (§. 19.)

XII. Quaenam refractae doses pharmacorum adhibendae sint, nonnisi tentaminibus edocemur talium dosium, quae *contra morbos sine pharmaco non sanandos* adhibentur; prosper successus earundem dosium contra alios morbos adhibitarum nonnisi *methodum exspectativam probare* valet. (§. 20.)

---

---

## De Therapiae methodis in genere spectatis.

---

### De diagnosis.

§. 1. Quae in hoc vel illo casu sanitati restituendae convenientia observata fuere, remediorum instar ab antiquissima usque ad nostram aetatem adnotata, laudata et recommendata sunt. Sed num reapse adsit nexus inter quoddam remedium (e.g. abracadabra cuiuscunque speciei) et inter restitutam sanitatem; num haec remedia, quae nomine fors digna fuerint, adhibeantur in casibus sufficienter similibus; num casus, qui videtur similis, non contineat illa particularia, contra quae laudatum remedium nil aut minus efficit, aut morbum adauget; haec utique itidem disquirenda erunt. Sic pedetentim orietur notitia clarior, distincta symptomatum morbi simulque nexus, qui inter symptomata morbi ipsa atque inter haec et medicamina intercedit.

§. 2. Nullus medicorum, imo nec eorum, qui nostra aetate empirismi accusati fuerunt, negat, praeter complexum symptomatum etiam causas occasionales esse respiciendas. Itaque omnes concedunt nexus symptomatum esse respiciendum. Hoc autem concessso, negari jam neguit, causas quoque morborum esse investigandas, sive hae jam suffecerint symptomatibus abnormalibus producendis (i.e. excitantes sint) sive nondum solae suffecerint (i.e. disponentes tantum sint) et morbum aliunde demum exitatum diverse modifcent. Aut quis dubitabit, laqueum suspensi

resecandum adeoque causam excitantem apoplexiae removendam esse, si vitae functiones resuscitare voluerimus? quis dubitat post resuscitatas vitae functiones illa quoque removenda esse, quae denuo disponerent aut stimularent ad iterandum suicidium? Imo reapse nullus fere medicorum, cuicunque faveat demum systemati, moderno tempore reperiundus videtur, qui non putet respiciendas esse causas morborum, quae latent in habitu corporis, temperamento, indole mentis animique, occupationibus, victu, potu, atmosphaera, assrefactionibus, aetate, sexu, morbis praegressis, relationibus civilibus aut politicis etc., sive hae omnes causae tantum disponant ad morbum, sive ipsum morbum produixerint. Si qui oppositum defendunt, magis secundum opera, quam secundum verba dijudicentur; et adparebit dissensum vix remanere. Nam contendentes *solum complexum symptomatum morbosorum esse respi- ciendum*, etiam respiciunt symptomata morbum praesentem *praecedentia*; praeterea saepissime non possunt non seligere ex nimia symptomatum quantitate talia, quae ipsis videntur *principalia*, *essentialia*, atque secundum haec essentialia curam adornant. Imo interdum in angustias redacti ab symptomatum parcitate, praevie talem adhibere solent curam, qua *plura elicant symptomata*. Iam in primo casu, scilicet respiciendo ad symptomata morbum praesentem praecedentia, numquid nexum praeponunt, unde plus minus symptomata praesentia explicare queant? in altero casu numquid essentialia respecturi debent nexus symptomatum adeoque et causas eruere? denique in tertio casu plura symptomata elicuntur, praeponere solent psoram adesse, quae autem tamen interdum, ut ipsimet candide fatentur, deesse poterit. Proinde tamen iterum praeponunt causam atque secundum hanc praepositionem curas suas adornant.

§. 3. Ecquidem multos investigandarum causarum tae-

det, sive nunc hypotheses causas concernentium copia fuerit major proposita, sive tentamina secundum easdem hypotheses instituta frequentius fuerint irrita, aut plane nociva, sive aversio difficultioris investigationis et commoditas mechanismi quaerat excusationem. Hoc modo rejectis omnibus disquisitionibus causas morborum concernentibus prodit empirismus (rudis), qui ex allatis motivis omni tempore invenit et inveniet fautores, imo jam saepius praeponderavit et sine dubio etiam futuris temporibus hinc inde praeponderabit. Sed omnis empirismus (vudus, merus) referri debet ad extrema, quae vitare oportet; nam naturae mentis humanae contrarium est, omnem respuere causam ejusque investigationem. Licet autem empirismus talis ad extrema evitanda pertineat, nihilominus tamen suam secum fert utilitatem. Nam hypotheses extremitates e regione oppositi empirismi facilissime noscuntur et restringuntur; experientia magis fovetur et hinc observata minus fucata prodeunt, atque reapse basis solidior ampliorque novarum investigationum adquiritur.

§. 4. Quamprimum homines illuc usque pervenerint, ut nexum symptomatum morbi inter se, et remediorum cum morbis indagare nitantur; hypotheses deesse non poterunt. Nam nonnisi exigua pars eorum, quae ad physica referuntur, mathematice hucusque determinari, et secundum hanc determinationem produci potest; et quatenus mathematica determinatio, cique conveniens reproductio adhuc desunt, notitia physicorum nondum ad scientificum valorem pervenit, sed hypotheses huc illucque agitatur. Verum hypotheses, ad quas condendas mens indagatrix omni aevo stimulatur, saepe nimium de tramite recto deducere valent; uti ex sequelis hypothesis cum experientia discrepantibus probari potest. (Ne quempiam offendam, sufficiat e. g. citasse theoriam humoralem.) Perinde autem incitamus ad alias, forsitan iterum nimium divergentes hypotheses condendas, uti e. g. theoria Brownii — plurimis

nunc consentientibus — erat. Ejusmodi hypotheses oppositae citius seriusve illuc conducent, ut in novis condendis hypotheses nitamur evitare extrema illa, quae inde deducenda, aequa ut antecessorum hypotheses, cum experientia discreparent. Licet exinde nondum prodeat mathematica, et hinc scientifica rerum physicarum determinatio, sed defectus hic et oppositio inter experientiam atque theoriae consectaria intercedens iterum ad nova urgeat tentamina; minor tamen hypothesis contrarietas pendentim nascetur et major evadet campus, intra quem harmonia theoriae atque experientiae locum habeat. (cf. Entwicklungsgeschichte der Physiologie und Medizin von W. J. A. Werber, Stuttgart 1835. pag. 165 sqq. p. 222 sqq. ac p. 355 sqq.)

§. 5. Quod causas proximas morborum adtinet, antiquata jamjam est theoria humoralis; interim veri quidquam huic theoriae tamen inesse videtur. Nam licet quoad syphilin, scrofulas, herpetem etc., ipsa abnormia secreta causam morbi putare nemo nunc valeat; disproportio tamen adest in organis vitae vegetativa, unde etiam nomen dyscrasiae adhucdum adhibetur. Eatenus itaque causa morborum haud semper mere dynamica statuenda sed plus minus antagonismo dynamismi, nempe theoriae humorali concedendum foret; dummodo minus concinnam denominacionem causae dynamicae i. e. „causae causalis“ etc. retinere placuerit. Aut an nulli dantur casus, in quibus sanationem vel plane non, vel saltem haud satis cito procurare valemus remediis sidictis dynamicis, sed evacuationem, remotionem secretorum aut productorum abnormium ante omnis alias remedii usum adhibere cogimus? Sic venena deglulita, sangvis effusus in ventriculum etc., suppuratio, hydrops in multis (aut si ita placet: in aliquot) casibus haud satis cito, aut nequaquam removeri possunt remediis alterantibus, sed remotio horum nocentium institui debet,

antequam energia vitalis et hinc etiam secretio etc. ad normalitatem reduci valeat. Quod helwinthiasin adtinet, praferunt quidem alii in omni casu usum remediorum non nisi dynamicorum; sed iidem tamen vix negabunt interdum casus occurtere, in quibus evacuatio praevia vermium non contra indicatur, ita ut dein etiam remedia adhibeantur normalitatis functionum intestinalium restituendae. Denique faeces durae constipationem interdum producunt, cui ob allicitam majorem humorum copiam diarrhoea nectitur; sed non obstante bac diarrhoea malum cito removeri potest purgantibus. — Itaque methodo sic dictae evacuanti in sanandis morbis et eatenus etiam theoriae sicdictae humorali quoad morborum causas determinandas tamen aliquid concedendum videtur. Imo licet recentioris scholae sicdictae homoeopathicae fautores elapsis abhinc aliquot annis sine omni restrictione rejecerint methodum evacuantem, nunc tamen plures jamjam inveniuntur, qui concedunt evacuationum convenientiam in aliquot casuum speciebns et ita qualcumque systematum fautores moderni in eo jam consentiunt, methodum evacuantem et hinc etiam theoriā humoralem quoad morborum naturam (causam proximam) non plane rejiciendam esse.

§. 6. Si autem quaeramus, quaenam sit causa proxima seu essentia determinatae cachexiae (dyscrasiae), uti herpetis, syphilis etc. atque in specie si quaeratur, num non in omnibus morbis adsit abnormis fluxus imponderabilium, praeprimis electrici, ita quidem ut nunc magis nervi, nunc magis vasa, nunc magis membranae partium internarum, nunc magis integumenta communia etc. adficiantur ab isto abnormi fluxu; diversa proferuntur responsa. Alii omnem chemismo aut imponderabilibus innixam explicationem rejicientes quaerunt: an vos morbis hepaticis mederi potestis, si causam in decarbonisatione sanguinis abnormi quaerentes, huic hypothesi conformiter mor-

bum chemicis remediis impugnatis? num inflammationem pulmonum tollitis, si defendantes nimiam adesse oxydationem sanguinis, huic opinioni conformiter medelam adornatis etc.? — Ast, licet ex *mero* chemismo et in specie ex *mero* imponderabilium fluxu etc. nemo amplius vitam organismi sanam aegramve et hinc quoque remedia morbi derivare tentet; ex altera tamen parte confitendum erit, notitias nostras chemismum et fluxum imponderabilium attinentes nondum cas esse, ut accurate determinare valeamus, quousque chemismus et in specie fluxus imponderabilium in organismo humano extendatur et quomodo in singulis systematibus etc. agat. Quis autem ex eo, quod jam saepius aevo praecedente chemismus absque successu optato ad morbos sanandos adhibitus fuerit, concludere poterit, chemicorum notitiam nunquam ita perficiendam fore, ut eorum applicatione tali, quae in organismum humanum ejusque functiones quadret, morbos licet graviores et gravissimos sanare valeamus? E contrario cum nulla functio organismi, proinde nec ullus morbus sine imponderabilium actione (licet hac nullatenus sola) explicari queat, et cum chemia jam illuc usque exulta sit, ut non pauca ad illam pertinentia mathematice exponere noscamus; exspectandus videtur in posterum influxus chemiae major, qui itidem morbis gravioribus sanandis regulas adornare valeat.

Alii autem chemismum in morbis sanandis itidem rejicientes ex nervorum abnormitate cunctos ultimatum derivant morbos. Ast licet negandum non sit, a nervis symbolam conferri ad morbos generandos; influxum tamen nervorum exaggerare videntur, qui inde omuem morbum derivaturi sunt. Nam si audias aliquos medicos, dominium systematis nervorum pertineret ad normalitatem vitae animalis; cum tamen in organismo sano nervi obedient, subsint, obtemperent excitationibus, atque his non obtemperantes, sed functionem organicam determinantes i. e. do-

minantes nervi producant deliria, sive transitoria, sive per longius tempus protracta. Imo si nervi ad quoscunq; morbos principalem conferrent symbolam; non video, unde differentia essentialis etiam in therapiam influens statuantur inter inflammations et nevroses. Denique etiam in illis morbis, qui praecipuam secum ferunt nervorum affectionem, non nisi rarius observamus deliria. Affectio scilicet nervorum neque in his morbis semper tanta esse debet, ut nervi haud amplius cedant sic dictis impressionibus in eos factis, sed his non obstantibus suo modo functiones psychicas excitent, sive deliria producant. Cum itaque influxus nervorum tantus non sit, neque esse possit, ut eum dicamus esse dominantem et in specie omnis inflammationis fontem praecipuum; non video, quomodo ultimum omnium morborum fundamentum, et eatenus sine dubio principale fundamentum in nervis quaeramus.

§. 7. Interim quidquid statuas de chemismo atque de influxu imponderabilium aut etiam nervorum in morbos generandos; consitendum tamen semper erit, notitiam nostram hos influxus concernentem nondum esse tantam, quae sufficientes sanandis morbis regulas propinet. Diagnosin itaque morborum construentes, pro praesenti restringimur ad morborum symptomata, quorum nexum, quantum licet, quaeramus. (cf. §. 1. et 3.) Nec quidquam ad rem faciet, num nexus istum adpellare volueris physiologicum (pathologicum) nec ne. Neque quoad hanc essentialia diagnoseos requisita - symptomatum scilicet solerter collectionem et eorum nexus, quantum licet, quaerendum, — moderno tempore dissensus realis medicorum restat; licet enim aliqui verbotenus contradictant, reapse tamen consentiunt. (cf. §. 2.) Exinde autem non sequitur vilipendendas esse morborum explicaciones illas, quae ultimam eorum causam concernentes hypothesibus adnumerari debent, (cf. §. 4. 5.) aut insuper nec vitae organicae derivandas,

nec hucusque medelae adornandae sufficient (cf. §. 6.); alias forsitan posteri de nobis tantopere mirarentur, quam nos miramur de assertis eorum, qui elapsis abhinc seculis XIII—XIV. antipodes declararunt impossibile esse.

### De morborum classificatione.

§. 8. Quamprimum de copiosarum rerum designatione agitur, classificatione indigemus; alias nimiae difficultates obstant, quominus ipsimet relationem hujus multitudinis perspiciamus et quid velimus, aliis communicemus. — Qui essentialiter a se differunt morbi, et essentialiter diversam poscunt medelam, non uno eodemque nomine designandi forent; quamprimum enim nomen idem scientifice adhibetur, etiam genus idem, ergo eadem res designatur, et essentialis differentia tollitur, simulque generice eadem methodus curandi adhibenda praescribitur. Sic abnormitas vasorum inflammatoria essentialiter differt ab abnormalitate nervosa (sive erethistica sive torpida) atque essentialiter diversam hae abnormitatem postulant etiam, licet abnormitates vasorum pedissequam habeant (majorem minoremve) abnormalitatem nervosam et viceversa. Proinde denominatione, quae utramque abnormalitatem sub se comprehendet, acsi utraque ad idem genus pertineret, seu essentialiter eadem esset, non potest secundum theoriae regulas statui.

Eatenus scientifice non potest statui e. g. febris quae genus febrium omnium, sive hae sint inflammatoriae sive erethisticae sive torpidae, intermittentes etc. Sed quis extirpare poterit genericam denominationem usu longissimo inveteratam? Nil itaque restare videtur, quam ut retineamus hanc denominationem, sollicite carentes, ne ipso nomine febris jamjam genus scientifice designatum putemus; dum essentia, adeoque et genus adpositis adjективis, „intermittens, inflammatoria, torpida“ etc. designetur.

Majoris forsan momenti denominationes illae sunt, quae complexiones varias, nunc cum abnormitate organismum longius adficiente catarrhosa, nunc cum rheumatica dispositione, nunc cum arthritide, nunc cum abnormitate systematis lymphatici, nunc cum exanthematibus etc, nunc cum pluribus harum abnormitatum designant. Nomen plarium ejusmodi complexionum manet idem, (uti spasmi, hydrops, catarrhus, tussis, enteralgia, carditis etc.) et longe diversa tamen requiritur medela, praecipue si monbus locum habuerit vicarius, haud raro incurabilis, nisi ad fontem forsan diversissimum respexeris.

Denominationes tales, quae sub eodem nomine comprehendunt morbos curam e diametro fere oppositam postulantes, regulis theoriae satisfacere nemo quidem defendere poterit. An autem huic incommodo medemur, omnem classificationem rejecturi? nequaquam; nam copia rerum major sine classificatione impedimenta majora sistit, quo minus perspiciamus, comprehendamus, communicemus id, de quo agitur. Tentata fuit nostro tempore rejectio fere omnis classificationis, sed hanc penitus omnem removere tamen non valuerunt, et — quod ob naturam rei expectari poterat — nunc iidem, qui meram symptomatum enumerationem substituere tentarunt, iterum confugunt ad abbreviations tales, quae saltem aliquam classificationis similitudinem exhibent. An incommoda forsan perinde effugimus, quod de scientifica classificatione stabienda desperantes, topice morbos enumeremus, e regione disponentes affectionem quamcumque universalem? Itidem hoc tentatum fuit et tentatur, sed valoris scientisci non esse talem morborum exponendorum dispositionem, neque nisi in scientificam theriae tractationem hoc modo satis fieri per se patet. Hinc factum est, et fiet etiam, ut ejusmodi topicae enumerations post brevius longiusve tempus elapsum hoc, vel illo modo e. g. specie subdivisio-

num geneticas morborum explicationes continere incipient. Cacterum negari vix poterit, ejusmodi topicas morborum dispositiones usui quotidiano satis commodas esse, praecipue quandiu defuerit classificatio, cuius scientificus valor a plurimis jamjam agnoscatur.

§. 9. Antiqua divisio morborum in acutos et chronicos pluribus etiam moderno tempore placuit; et sine dubio tum patientis tum medici plurimum interest noscere, num duratio morbi per longius tempus protrahatur nec ne. Si autem divisio ista defenditur ideo, quia „morbi chronicci vi naturae solius tolli nequeunt et contagio oriuntur“ exaggeratio mihi subesse videtur. Plurimi quidem morbi acuti forsitan efficacia solius naturae (sub diaeta conveniente et sine artis auxilio) sanabiles sunt, licet accidente artis auxilio conveniente citius sanentur; ast num quis contendet, plane omnes morbos acutos sine artis auxilio sanari posse? Praeterea an non etiam morbi acuti, uti e. g. pestis orientalis, febris flava, typhus, variolae etc., contagio oriri possunt? An omnes morbi chronicci e. g. scirrhus, carcinoma etc. oriuntur contagio? Denique morborum chronicorum sanationem in regula difficilem, imo et saepe artis auxilio non efficiendam esse nemo negat; ast num non dantur sanationes chronicorum morborum a natura sola peractae, e. g. scrofularum, rachitidis etc?

Minoris momenti videtur esse decantata divisio chronicorum morborum (quos contagio ortos et efficacia solius naturae insanabiles dixerunt) in syphilim, sycosin et psoram. Nam non tantum ideo, quia haec divisio saepius et non raro cum animositate in ridiculum vertebatur, sed etiam ob defectum sufficientis argumenti (a me saltem frustra quaesiti), quo sufficiatur classificatio talis, ab ipsis asseclis pristinis jam derelinqui videtur. Verum, quod divisioni isti subesse poterit, forsitan ad id reddit: morbos chronicos esse abnormitates systematis vegetativi seu dys-

erasias, et ut plurimum syphilide, sycosi (si haec jam distinguenda fuerit a syphilide) atque imprimis a psora produci.

§. 10. Qualemcumque autem tentaveris divisionem, vix ac ne vix quidem omnibus votis respondebis. Quomodo enim exspectari poterit regularitas, ordo, cum tamen morbus irregularitatem, seu abnormitatem, ordinem turbatum necessario secum ferat? et quomodo divisionem institues adaequatam, nisi ordinem inveneris, atque normam stricte observatam? Hinc itaque simus faciles in critica talium divisionum; satis enim ille praestitisse videtur, qui nobis sistit conspectum morborum saltem tolerabilem.

Qui autem sperant topica tractatione omnes has difficultates effugiendas fore, ob difficultatem complicationum facile e scylla in charybdim incidere possunt. Nam ponamus, morbos topice enumerari (qui modus nunc pluribus placet), e. g. morbos integumentorum communium, cranii, oculorum, aurium, narium, faciei, dentium et gingivarum, linguae, palati, faucium, regionis epigastricae, hepatis, lienis, renum etc. etc. Si numerum harum sectionum ad 30 reducamus, simulque respiciamus complicationes; secundum combinationis legem prodibunt morborum 1073,941,823. Animadvertendum praeterea est, hoc modo nonnisi topicos morbos enumeratos esse, non autem universales, neque horum complicationes, imo nec rationem habitam fuisse differentium abnormitatum, quae in qualibet harum sectionum, (scilicet in integumentis communibus, in crano, in oculis etc.) idiopathice, sympathice, antagonistice, metastatice locum habere possint. Hinc facile quilibet perspiciet ex ista topica tractatione morborum non morbos sed morborum tractatus prodire, et quidem 1073,941,823 aut si numerum rotundum velimus, 1000 milliones tractatum. Iam si totidem assumamus adesse homines coaeuos in universa nostra terra, atque supponamus,

quemlibet hominem medicinas doctorem aut doctricem evadere , atque fieri distributionem istorum conscribendorum tractatum , ita ut quilibet homo scribat singulum (scilicet post debitam praeparationem): patet , semiseculum elapsurum esse , antequam hi morbi descripti fuerint. Imo si supponamus hos tractatus (quorum quilibet , licet succinctus , satis magni voluminis fuerit) simul etiam verti in idiomata alia; totum fere seculum elaberetur , donec opere 1000 millionum hominum prodiret ejusmodi descrip<sup>tio</sup> morborum. Quia autem non quilibet homo medicus evadere potest ; supponendum erit , vix quemque bis millesimum fore medicum. Hinc si inter omnes medicos distri- buerentur tractatus isti conscribendi; ante opus perfectum fere 200,000 annorum elaberentur! Hae circiter sunt difficultates , etiamsi nonnisi obiter inspectae , quibus premiatur mera topica morborum tractatio.

### De pharmacorum effectu.

§. 11. Pharmacorum effectum chemicum non plane re- jiciendum esse , vix aliquis dubitabit. (cf. Ph. C. Hartmann Pharmacol. I. §. 52 sqq.) Verum licet regula statui pos- sit: mutationes a pharmacis in corpore humano productas itidem chemicas esse ; concedi tamen etiam debet , muta- tionem imponderabilium , in specie electrici , a pharma- cis simili produci. Nulla enim chemica mutatio procedit absque mutata relatione imponderabilium , et hinc aliquia influxus imponderabilium jam ex concesso chemismo con- cederetur. (Nullum scilicet corpus existit , quod cum im- ponderabilibus non sit nexum , et proinde corpora con- flictum ineuntia etiam relationem ad ea , quae laxissime cum iis nexa sunt , ergo ad imponderabilia mutant neces- se est.) Insuper sanguinis circulatio phaenomenon est , quod manifestiorem similitudinem fluxus galvanici offert , quam

ut (concessa jam praesentia electrici in corpore humano) negari queat, inter vasa sanguinis et nervos, sine quorum actione utique nulla circulatio adest, oppositionem electricam adesse, et hujus oppositionis transmutationem recte causam esse et effectum circulationis sanguinis. Denique oppositio locum habet inter varia systemata organismi, ita quidem ut energia alterius aucta energiam alterius minuat et viceversa. Haec oppositio cum aliis phaenomenis similibus huc pertinentibus manifesto innuit relationem magneticam, quae autem aliquibus ad electricismum reducenda videtur. Hinc — ob concedendam alioquin praesentiam electrici — inter omnia organismi systemata fluxus electricus (aut in genere fluxus imponderabilium) statuendus erit. Itaque pharmacon, quod in corpus humanum agit, non poterit non agere in fluxum electricum, qui inter systemata organismi locum habet, et perinde non poterit non agere in mutandam relationem, quae inter sanguinem et nervos etc. intercedit. (cf. Dr. Prohaska's Physiologie, Wien 1820. Votredé. — Ph. Carl. Hartmann: Der Lebensprocess, in den med. Jahrbüchern des k. k. öst. Staates 3. B. 3. H.)

Sicuti autem influxus chemicus, quem pharmaca exerunt, mutationem (proxime) qualitativam, licet nutritio non accensendam continet; ita influxus pharmacorum, qui mutata relatione imponderabilium manifestatur, proxime intensionem energiae systematis alicujus cum depresso energia systematis antagonistici exhibebit, proinde proxime mutatio haec erit quantitativa et nonnisi mediate dein etiam qualitativa evadet. Caeterum supponere licet, energiam systematis alicujus mutatam etiam influere in sistema aliud, cuius activitas consensualis est. Inde dein variae oriuntur complicationes incitationum consensualium et antagonististarum, quae alioquin nondum satis enucleatae sunt.

Hoc respectu etiam inferendum erit, efficaciam pharmacorum in eo fundari, quod qua heterogenea non assi-

milanda qualitativam (seu chemicam) quidem mutationem producant, sed insuper in parte affecta et in partibus consensualibus quantitatem imponderabilium augeant, energiamque stimulent, atque in antagonisticis harumque consensualibus quantitatem imponderabilium minuant, atque energiam deprimant, vel viceversa.

§. 12. Facile patet intensitatem (exaltationem) energiae cujuscunque limitibus circumseribi, qui exeedi nequeunt, seu facultatem energiae cujuslibet nonnisi limitatam esse. Proinde jam ex hoc fundamento influxus pharmacorum limitibus circumscribitur atque stimulatione nimis augenda torpor, sphacelus, gangraena, etc. oriri, et in genere energia vitalis exhausta dehebit. Accedit, quod in organismo conspiratio energiarum tum consensualium tum antagonisticarum debeat adesse; quapropter energia unius partis et mediate partium consensualium nimis exaltata, proinde itidem energia antagonisticarum partium nimis depressa, ruinam organismi majorem, minorem, vel totalem secum ferre posset. Jam si res in eo est, ut influxus quicunque stimulent ad ejusmodi excessus: oppositio, quam stimulus includit, denuo accedens ea esse poterit, quam pars affecta unicum consensualibus reagens non vincat, ita quidem ut excessus energiae nunc ipsam organisationem magis minusve pessumdet. Si vero pars affecta seu stimulata (consensualibus cooperantibus) vincere potuerit oppositionem: energia ejus, utpote ad reactionem stimulatae partis, itidem fuisse debuit aneta, et hoc augmentum vel iterum ruinam organisationis secum fert, vel vero, quin ipsam organisationem pessumdet, antagonistica vis tandem vincit, sicque partis nimium stimulatae energia deprimitur et eo ipso energia antagonistice agentium denuo augetur.

Cum efficacia imponderabilium mediantibus pharmacis elicita jam ab longo tempore indubitata sit; res eo devent, ut neglecto omni chemismo etiam solam hanc impon-

derabilium efficaciam in sanandos morbos adhibere tentaverint. Per plures annos saeculi elapsi invaluit magnetismus (modificatio electricismi); scilicet omni neglecto influxu chemico immediate fluxum electricum mutare et sic sanitatem reducere nitebantur. Sed brevi magnetismus hic oblivioni traditus fuit; et licet hoc saeculo revixerit, jam iterum tamen exspectationibus minus satisfaciens flocci penditur. Interim tamen negari non poterit, omnes curas aegrorum, quae secundum quamcunque methodum instituebantur, non tantum chemice sed etiam, imo et (de regula) magis actione imponderabilium factas fuisse, et eatenus magnetismum sic dictum (qui recte illorum imponderabilium influxum adhibet) nullatenus fundamento omni carere. Sicut Brown autem non omnem scalam incitabilitatis figere valuit, ita nec notitia nostra imponderabilium praesens sufficit determinando, quomodo et quibus mediis non — chemicis in omni speciali casu immutandus sit fluxus imponderabilium, ut morbus abigatur. Hinc licet non sit rejicienda omnis basis, cui sic dictus magnetismus insistit, sed magnopere perficere nostras imponderabilia concernentes notitias oporteat; descendere tamen iterum cogimur ad opem chemismi adnectendam, observantes sedulo, quaenam mutationes a quolibet pharmaco in corpore humano producentur.

§. 13. Nunc temporis nemo amplius dubitat, influxum pharmacorum solis legibus chemismi et in specie imponderabilium explicari nullatenus posse; alias enim etiam vita organica sive sana sive morbosa solo chemismo, electricitate etc. iam explicari posset. Ad rem saltem aliquatenus dilucidandam adhiberi posset analogia vitae psychicae; licet enim organismus qua talis non sit psychicum quid, hoc tamen eiusque leges nobis ita innotescunt, ut abstractis abstractis etiam explicabilis reddi exinde videatur vita organica.

Cuilibet notum est, repraesentationes objectorum etc. modo praesentes disparere citius tardiusve, sed plures harum functionum futuro tempore iterum revocari. Functio itaque determinata psychica subpressa fuit ita, ut per aliquod temporis spatium nullatenus comparuerit quidem, sed postea iterum prodeat. Oppositum itaque aderat, quo functio delebatur et nunc aliquid in mente adesse debet, quo obstaculum removeatur et functio hucusque suppressa iterum redeat. Per se patet, hanc revocationem pristinarum functionum posse iouitiplicem esse ita, ut functio modo praesens plures vel pauciores functiones pristinas reducere valeat. Factum aliud itidem notum in eo constat, quod si quaepiam appetamus, quibus mox exsequendis pares non sumus, successive plures nobis obversentur imagines, quae sistant modum, secundum quem resistentia appetitioni nostrae opposita forsan viuuntur. Proinde praesens functio non tantum alias priores resuscitavit, sed licet plures paucioresve simul compareant, tamen etiam successio aliqua harum associationum animadvertisit.

Haec nunc ad organismum, licet ille qua talis non pertineat ad psychica, analogice transferre licebit. Scilicet etiam organicum stimulante aliquo (seu influente aliquo opposito) excitatur ad reactionem, itaque ad status interni sui mutationem. Haec reactio, adeoque etiam ei nexa mutatio interna potest evanescere, uti functiones psychicae disparere possunt, ob alias subsequentes stimulus oppositos. Sed sicuti functiones psychicae non annihilantur, verum data occasione iterum recurrere valent; ita simile quoque praeponendum videtur quoad functiones organicas, scilicet has licet suppressas tamen ab aliis subsequentibus functionibus iterum revocari. Imo et simile quid necessario praeponendum erit; quia alias merus chemismus explicandis vitae organicae phaenomenis sufficere deberet, et omnis reactio, quam organismus exercere pos-

set, nonnisi ad energiam, quae inest praesenti ejusdem statui et nullatenus per praecedentes modificatur, manifeste restringeretur. Quamprimum haec concedenda videantur, etiam porro concedendum erit, functiones organicas ita revocatas magis vel minus multiplices non tantum simul, sed etiam successive (determinata serie, ordine, adeoque intensitate successive aucta) revocari posse. Inde saltem aliquatenus concipi poterit, reactionem, quam stimulus quicunque in organismum exerit, non tantum ex solo praesenti statu seu energia organismi stimulati (et eatenus mere chemice aut ex mero fluxu electrico) esse explicandam, sed et priores functiones suppressas sive plures sive pauciores simul ac successive revocatas ad reactionem conferre, et eatenus effectum finalem etiam longe alienum evadere posse, quam si solus chemismus aut electricismus etc. influeret. — Si cuipiam analogia haec ex psychicis desumpta et ad organismum translata minus placeret, eadem consectaria (saltem pro aliquot morborum speciebus) deducere poterit ex iis, quae in pathologiis veterum sub nomine „morbi latentis“ veniunt. Notum enim est, in hoc vel illo individuo per longius tempus plane nulla symptomata comparere morbi, qui olim in majori vel minori gradu aderat. Serius data occasione novus comparet morbus et hic brevi ita modificatur, ut transmutatio haec nullatenus ex causa sola nunc excitante explicari queat, sed manifeste praesupponat influxum morbi prioris, cuius symptomata disparuerant. Exinde ergo iterum adparet morbum non esse tali in casu explicandum ex sola reactione, quac organismo pro praesenti statu convenit, et hinc meram chemicam aut electricam etc. explicationem non sufficere. Itaque idem valbit de influxu, quem pharmaca in organismum humanum exerere possunt.

§. 14. Cum pharmacorum effectus in organismum humanum nequaquam aestimari possit ex reactione, quam or-

ganismus pro praesenti suo statu exerere valet, sed cum reactiones plures vel pauciores simul et successive accedant, quae in prioribus breviori vel longiori tempore suppressis fundantur; patet valde difficilem inde reddi aestimationem influxus, qui pharmacis contra morbos adscribi poterit. Ab omni fere tempore medici de his difficultatibus conquerebantur. Imo explicari etiam saltem aliquatenus exinde potest, quare contra eundem morbum non raro opposita fuerint laudata remedia. Sic recentissimo tempore Ferd. Jähn in opusculo, quod venerabili seni Hufeland dedicatur, (Versuche für die pract. Heilkunde. Eisenach 1835. pag. 45. sqq.) de remediiis contra hydrocephalum lamentatur: „Odier, Jahn pater, Portenschlag, Viethmann dissuadent sanguinis evacuationem; alii autem medici plurimi huic evacuationi salvationem aegri adscribunt — — — Gölis mercurium dulcem nominat remedium divinum, sed Wedekind, Charpentier, Itard, Ettmüller hujus mercurii usum vel dissuadent, vel inutilem censent. — — — Multi eximie laudant usum frigoris; Bompard, Evan, Quin, Jahn pater laudant balnea calida, — Itard balnea vaporis, Schneider fomenta cum aceto et floribus arnicae. Fothergill, Hufeland, Lannec suadent emetica; Gölis et alii eadem sub omni conditione rejiciunt. — — — Jörg et Sibergundi laudant nitrum; Portenschlag, Percival, Armstrong, Hopfengärtner, Harless preferunt moschum, camphoram, serpentarium, valerianam, spiritum c. c., vinum. Wendt dissuadet opium veneni instar, sed Percival idem laudat. Auteurieth pater laudat ferrum muriaticum, ratanhiam, tormentillam; Auteurieth filius laudat calcariam muriaticam in decocto chiae; Pierry, Cloquet, Roche, Sanson adhibent Chininum vel chinum in elysiate; Odier et Mayer interne adhibent Cinchonam, Jörg arnicam, Jahn pater bellandonnam, Jahn filius plumbum et jodinam, Rau mercurium sublimatum corrosivum,

— — — Lenz , Huschky, Brewis, Bricheteau laudant diuretica , quae autem a Chapman rejiciuntur. Multi laudant mercurium externe adhibitum , quem Gölis inutilem putat. Tiney laudat moxam in vertice , Myre et Mongenot suadent setacea in cervice ; sed Wendt et Bompard rejiciunt vesicantia , quae Gölis ad suras et femora adhibet. — — — Plurimi adhibent hirudines pone aures etc. ! — Itard easdem ad pedes applicat. Paulini laudat faeces (cerreviae ?) etc. “

### De methodo derivante.

§. 15. Morbi terminari observantur , “ quamprimum intensiores comparuerint reactiones , quae vel in alio , quam morbus , systemate organismi , vel in eodem quidem systemate sed alio loco exeruntur . Sic intensiores reactiones integumentorum communium , renum , membranae mucosae , bronchiorum , vel intestinorum producunt largiorem sudoris , urinae , muci , secretionem et excretionem atque perinde febres inflammatoriae , pneumoniae , pleuritides etc. terminantur . Arthritis , ischialgia , hydrops , epilepsia , comparente fluxu haemorrhoidali , aut enatis haemorrhoidibus coecis saepe disparent . Comparente tinea capitis , interdum infantes ab inflammatione oculorum liberantur . Sudor perinaei cessare observabatur emergente largiore pendum sudore ; epistaxis et tussis cruenta haud raro cedunt succedenti fluxui menstruo aut haemorrhoidali ; parotitidi succedit orchitis etc. — His observationibus innixi medici concluserunt morbum tolli , aut saltem minui posse excitando intensiorem aliquam reactionem (antagonismum) in alio quodam organismi systemate . Sic maniam et in genere erethisticum cerebelli statum , congestiones capitis encephalo nocivas tollunt excitando intensiorem reactionem tubi alimentaris adeoque usu purgantium . Pertussim , adeo-

que exaltatam et alteratam laryngis etc. activitatem minuere nituntur inunctione tartari emetici. Suppurationi organorum internorum opponunt fonticulos, setacea; coxalgiae ferrum candens, ophthalmis opponunt vesicantia, gastralgiae spasmodicae elysmata stimulantia, congestionibus partium superiorum pediluvia, typho embrocationes, adspersiones, lotiones etc. In genere autem post fractam inflammationum internarum vim contra dolores, qui nimis exaltatam innuant sensibilitatem, adhibere solent sinapismos, vel vesicantia. Nitrum autem, sal aminoniacus, tartarus emeticus, calomel, arcanum duplicatum, sal Glauberi, tremor tartari etc. dosibus consuetis utiliter contra inflammations vasorum adhibentur; et quomodo (*in genere*) agant, nisi activitatem membranarum tubi alimentaris stimulando (augendo) et sic energiam organorum inflammatorum minuendo? Qui alio modo explicare volnerit efficaciam horum medicamentorum (*in genere et in casibus allatis*), perpendat eadem omnia contraindicata esse in inflammationibus tubi alimentaris, proinde usu illorum manifeste energiam membranarum tubi alimentaris augeri.

Et revera quomodo utilitas hujus methodi, quae, energiam partis organismi augendo, minuit (ad normalitatem reducit) exaltatam energiam alterius, adeoque revellendo agit, plane negetur? Saepissime usui horum antagonisticorum succedere ipsem vidi terminum morbi acuti. Num autem multum utilitatis praestent antagonistica in morbis chronicis, alia est quaestio. Sine dubio antagonismus satis fortis raro inveniri poterit, quo tollatur morbus e. g. amaurosis et si tolleretur, usus longior antagonisticorum nimis incommodus et sanitatem laedens, serio excitat quaestionem: num' non possint inveniri media leniora et citius agentia.

## De methodo contrarium contrariis impugnante.

§. 16. Contraria contrariis tolli notum est. Huic principio innixi medici morbos plurimos ab antiquissimis usque ad nostra tempora sanare studuerunt.

Dum quidpiam in corpus humanum ita influit, ut haec vel illa proxime pars abnormiter excitetur: reactio sequitur itidem consuetum gradum excedens, haecque reactio — pro intensitate stimuli, aut pro nexu partis affectae cum caeteris organismi partibus — citius tardiusve ad majorem quoque ambitum organismi extendi poterit. Primum itaque est, ut (dummodo id effici possit) causae removeantur, quae ad illam intensiorem stimulant reactionem. Hanc remotionem causarum quilibet medicus tentat, sive dein morbum adhuc perdurantem ulterius contrariis impugnet, sive aliam sequatur methodum. Eatenus itaque methodus contrarium contrariis impugnans, cum omnibus aliis sanandi methodis conjungi potest. Sed praeterea energia illa exaltata organismi haud raro indiget moderatione, atque ideo intensitas reagentis deprimenda est; nam licet reactio qua talis non sit suppressa, sequelae ejus tamen nimiae esse et organismo saepe nocere possunt. Hinc in inflammationibus ad universum systema vasorum extensis depressionem energiae intendentis hancque depressionem contrariorum influxu effecturi medici venae sectione utuntur. Si autem intensior inflammatio nonnisi topica (uti dicunt) manserit, sanguinis evacuationem (magis) localem usum hirudinum, cucurbitularium cruentarum etc. adhibent. (Haec autem sic dicta topica sanguinis evacuatio forsitan itidem recte ad remedia antagonistica seu derivantia referri posset. Hirudines enim etc. non ad locum inflammatum, sed ad alium adplicantur, atque illuc majorem sanguinis quantitatem attrahunt sique coergiam vitalem in hoc loco augentes, eandem energiam in loco inflammato minuant.) —

Ideo etiam refrigerantia vel interne , vel topice vel utroque modo adhibent, quamdui calor partium inflammatorum abnormiter exaltatus , humorum affluxus abnormiter intensus , sed energia vasorum et nervorum ita constituta est , ut depressio , quam frigus excitat, nondum ad reaktionem incongruam sollicitare valeat. Ex eodem fundamento contra alvi obstipationem adhibent mucilaginosa, oleosa — etiam ope clysmatum — ad infringendam siccitatem intestinorum vel sympatheticam vel idiopathicam, atque ad tollenda obstacula, quibus subest remotio faecum ex intestinis. Denique diaetam adhibent sic dictam antiphlogisticam, macram , stimulo quam maxime carentem.

Dum influxus in organismum talis adfuerit , qui reaktionem excitando mox energiam vitalem deprimit ad abnormem statum vel dum reactio ipsa contra stimulans quodpiam ad tantum gradum evecta fuerit, atque tamdiu duraverit , ut energia vitalis exhauriatur , atque sic itidem abnormis depressio oriri debeat: medici contrarium contrario impugnantes cavent quidem , ne stimulantibus mox ab initio et intensius adhibitis reducant statum inflammatorium , sique energiam vitalem exhauiant, atque torporem inducant; serius autem sub debita cautela adhibere solent remedia processum vegetationis promovere valentia (calatum aromaticum , corticem chiae, gummi ammoniacum etc.) Imo et stimulantia interne adhibent , uti mentham , melissam , lavandulam , valerianam , arnicam , camphoram , olea aetherea , ammoniacalia, moschum etc. Externe autem calore siccо , sine vel etiam cum camphora activitatem vasorum stimulare nituntur; itidem lotionibus calidis vinosis, aromaticis , cataplasmatibus similibus aut fomentis.

Si vasorum irritabilitas non obstante debilitate excederet , suadent usum acidorum vegetabilium vel et mineralium. Si debilitas non fuerit tanta , ut ex ejus aliquo

augmento detrimentam timeatur oriundum, atque si sensibilitatis exaltatio simul urgeat, adhibent quoque narcotica, uti opium, hyoscyamum, aconitum, pulsatillam nigricantem, belladonniam, laurocerasum, digitalem purpuream, stramonium etc. dosibus refractis. (Acida, quae contra irritabilitatem majorem vasorum cum debilitate nexam adhibentur, probabiliter itidem ad methodum §§. 17. sqq. describendam referri possent. Nam in eo loco, cui proxime adplicantur, oxygenii evolutionem augent, et proinde in pulmonibus minuunt oppositionem sanguinis venosi et oxygenii inspirati, sicque energiam sanguinis minuant. Hinc doses majores aut longius continuatae organismum destruunt; et recte ideo — cf. §. 19. sqq. — doses satis parva reactionem victricem elicere poterit. — Usus autem narcoticorum ita sit, ut proprie pertineat ad methodum deinceps §. 17. sqq. exponendam.)

Caeterum non tantum diaetetica his pharmacis stimulantibus, compescientibus, narcoticis convenienter adornant, verum etiam plerumque simul methodum derivantem (cf. §. 15.) vario modo addunt.

### De methodo similia similibus impugnante.

§. 17. Jam dudam innotuit, plura pharmaca, quae dosi majori exhibita determinatum effectum producunt, dosi satis parva effectui opposito producendo paria esse. In hujus asserti probationem, plura adducam facta ex Ph. Caroli Hartmann Pharmacologia.

*Rheum* dosi consueta sumptum intestina ita stimulat, ut humoribus allicitis diarrhoeam producere valeat; sed minori dosi diarrhoeam sistit. (cf. I. pag. 172.) *Cupri oxyda* dosi majori sumpta, vehementissimas ventriculi et intestinorum contractiones (inde vomitum, diarrhoeam cruentam) et convulsiones etc. producunt; sed dosi minori si

adplicantur, *convulsiones compescunt* (cf. II. pag. 189). Simile constat de *oxydo zinci*, *de magisterio bismuthi*. (cf. II. pag. 194. et 197. sqq.) *Ipecacuanha* dosi *plena* si exhibeatur, vomitum (adeoque *spasticam nervorum adfectionem*) producit; ast dosi *minori sanat spasticas adfectiones tubi alimentaris*. (cf. I. pag. 143 sqq.) *Helleborus niger* dicitur vomitum (proinde quoque congestiones etc. in cerebro) et copiosum alvi fluxum, imo *spasmos quoque mouere*; sed dosi *refracta helleborum* hunc medici olim adhibuerunt contra *maniam*, *melancholiam*. (cf. I. pag. 183. sqq.) Simile valet de *bryonia*, quae dosi *plena* remedium *drasticum* exhibit, sed dosi *refracta* opponitur *maniae*, *epilepsiae*. (cf. I. pag. 185.) *Colocynthis* dosi *plena* dicitur *vehementissimum esse drasticum*; sed dosi *parva* ad sanandam *melancholiam*, *maniam*, *epilepsiam*, *paralysim* utiliter adhibita fertur. (cf. I. pag. 189.) *Carbonas lixiviae* dosi *majori refrenat convulsiones*; dosi *consueta agit* contra acida tubi alimentaris et mala inde scaturientia. (cf. I. pag. 250.) Idem valet de *natro carbonico* (cf. I. pag. 252). *Praeparata stibii* dosi *majori vomitum* et alvi fluxum movent, imo inflammationem et sphacelum producunt; dosi *refracta* promovent transpirationem cutaneam, secretionem mucosam, serosamque et humorum resorptionem. (cf. I. pag. 325.) — Simile valet de *antimonio crudo*, *sulphure aurato antimonii*, et *kermete minerali*. (cf. I. pag. 227, 329. et 231.) — *Camphora* dosi *majori vomitum*, *vertiginem*, *temulentiam*, *deliquium*, *soporem*, *convulsiones* producit; dosi *minori vitam recreat sensiferam*, *transpirationem cutaneam* adauget, *pulsum frequentiorem et pleniorum reddit* (cf. II. pag. 101). — *Pulsatilla nigricans* dosi *majori vomitum*, diarrhoeam, uberiorem salivafluxum, sudorem, tussim, *impetigines*, praeterea colicam, dolores oculorum producit; sed dosi *minori idem pharmacum debellat paralysin* (*praecipue nervi optici*), *impetigines* et *ulcera* (cf.

II. pag. 173.) — Simile valet de pharmaco, quod nobis praebet *rhus toxicodendron* (cf. II. pag. 177). — *Hyoscyamus majori* dosi producit oculorum *illusiones*, *temulentiam*, *deliria*, *convulsiones*, etiam profusas excretioves, et in specie haemorrhagias; sed *minori* dosi *motum nervosum compescit*, *alvum vero liberam servat* (cf. II. pag. 228). — *Datura stramonium* dosi *majori* *vertiginem*, soporem, pupillae dilatationem, *spasmos*, *delirium* inducit; sed *dosis parva moderat excessum vitae sensiferae*, *sanare* valet *maniam*, *epilepsiam*, *melancholiā*, *choream* S. Viti, *prosopalgiam*. (cf. II. pag. 230.) — *Atropa belladonna* itidem dudum noscitur ut planta, cuius *dosis major* producit *affectiones nervorum graves*; sed *similes affectiones sanari possunt* *dosi minori* et ideo contra *amaurosin*, *hydrophobiam*, *epilepsiam*, *melancholiā* etc. *dosis minor* jam dudum adhibebatur. (cf. II. pag. 231.) — *Digitalis purpurea* dosi *quidquam majori*, aut longius continuata producit *magnam pulsum tarditatem*, *temulentiam*, *stuporem* etc. sed *dosis minor sanat maniam*, *epilepsiam*, *spasmos asthmatis*. (cf. II. pag. 236.) — *Aconitum* dosi *majori* exhibitum tantopere in vasa sanguifera dicitur agere, ut et *apoplexiā* producere valeat; eadem *major* *dosis* producit *vertiginem*, *temulentiam*, *artuum tremorem*, *animi deliquium*, *paralysin* etc. Idem vero *aconitum* *dosi modera- ta* utiliter exhibitum fuisse dicitur contra *amaurosim* (probabiliter incipientem), *hydropem*, *ulcera maligna*, *scirrum* (cf. II. pag. 243). — *Nucis vomicae* dosi *majori* adscribunt *vomitum*, *diarrhoeam*, *tussim*, *symptomata depressae functionis nervorum* cuta vel sine erethismo, *magnum* *musculorum debilitatem*, *rigiditatem* et *torporem* artuum. Sed *dosi satis parva* dicunt sanatos fuisse *spasmos*, *alvi fluxum*, *paralysin*. (cf. II. pag. 245.) — *Acidorum mineralium commune id est*, ut non diluta et sufficienti quantitate sumpta comburant, aut sub dirissimis doloribus

stere comburant, adeoque organismum magis immusivē destruant. Sed eadem acida, diluta et moderate sumpta laudantur ut remedia efficacia, quibus tollatur nisus humorum in dissolutionem et nervorum tonus restituatur. (cf. II. pag. 282—292.) etc. etc.

§. 18. Haec facta utique iisdem legibus subesse debent, quibus quaecunque pharmacorum efficacia subest (cf. §. 11—13.) atque leges chemismi, electricitatis aut in genere fluxus imponderabilium, uti et vitalitatis organicae nullatenus effugi possunt.

Quod nunc leges chemismi et electricitatis adtinet, quaeri poterit: num dosis minor seu refracta idem agat, quod dosis major, sed tantum in gradu minori; vel num reapse oppositum efficere possit? Si supponamus, a dosi minori idem, quod a dosi majori, sed tantum in gradu minori effici; res sequentibus circiter clara posset reddi. Ponamus systema quoddam organicum ita constitutum esse, ut functiones ejusdem normalitatem quantitative et qualitative excedant, seu superent. Ponamus porro, adhiberi pharmacon et quidem dosi majori, quod ejusdem systematis jamjam abnormis reactionem excitat, et hinc abnormiter auctam hujus systematis activitatem adhuc auget. Tali in casu alioquin morbus augeretur, et forsitan ipsem et organismus destruendus foret. — Ex altera autem parte ponamus idem sistema organicum, cuius functiones antea praesupposuimus abnormiter intensas et multiplicatas esse, illuc pervenisse, ut functiones exerat quantitative et qualitative infra normalitatem positas. Ponamus porro idem remedium, quod antea dosi majori exhibitum fuit, nunc dosi minori exhiberi, et eosdem quos antea effectus, sed minori in gradu producere. Tali in casu itaque eadem, quae antea, reactio systematis organici sed minori in gradu eliceretur; proinde functiones quantitative et qualitative assurgerent atque ad normalitatem accederent.

Forsan in pluribus casibus res se ita habet; ex iis saltem, quae chemismum et electricismum adtingent, vix impossibilitas hypotheseos hujus in genere deduci poterit. Sed rem aliter se habere in pluribus casibus, experientia quotidiana ad lectum aegrorum monstrat. Nam si dosis e. g. oxydi cupri, oxydi zinci, mercurii dulcis, tartari emetici etc. major fuerit; reactio organismi tanta excitatur, ut pharmacon vel emesi vel saltem diarrhoea ejiciatur et cito influxus ulterior pharmaci in organismum humanum ablatus sit. Si autem eadem pharmaca tam refracta dosi exhibeantur ut nec emesi nec diarrhoea etc. ejici possint, adeoque ut longe minori in gradu reactionem organismi stimuleut: influxus eorum longius durat atque organismum magis penetrat et dummodo conveniens sit, etiam optato modo pedetentim transformat. Sic, qui medicus organismum eo modo transformare desiderat, propter quem usus mercurii dulcis indicatur, idem pharmacon non magna dosi (qnae salvationem, diarrhoeam vel etiam vomitum produceret) sed parva dosi e. g. grano semis, uno, vel etiam granis duobus pro nycthemero adhibet. Simile alioquin etiam de pluribus aliis, quae (§. 17.) citata fuere pharmaca, valet. Itaque ex quantitate imminuta pharmaci non sequitur, ejus efficaciam (dummodo aliqua adsit) jam imminui, verum saepe minores pharmacorum doses ob reactionem minus intensam organismo pedetentim transformando pares esse, cui transformando tamen impares sunt doses maiores. Hoc modo itaque refractis dosibus saepe adscribendus esset influxus, qui qualitative differt ab influxu dosium majorum.

Si denique respiciamus legem vitalitatis organicæ, (cf. §. 13.) secundum quam pharmaca reactionem et praesentium et praecedentium atque partim simul, partim successive resuscitatarum functionum excitant: eo magis patet, efficaciam dosium minorum non tantum quantitative sed et

qualitative ab efficacia dosium majorum differre posse. Nam ponamus statum abnormem organismi quempiam ab influxu inimico ortum traxisse. Reactio aliquin excitabitur et cum reactio haec tantum chemice aut electricce etc. explicari non possit; assumi debet, functionibus illis, quae nunc reagunt, etiam reproduci (partim simul, partim successive) functiones pristinas, quae itidem ad hanc reactionem conferunt, eamque adaugent. Ponamus porro, has reationes non sufficere normalitati reproducendae, et hinc pharmacon esse adhibendum, uti e. g. in ulceribus vere syphiliticis, in syphili universalis, in herpeto, in febri intermittente pertinaci etc. Jam seligatur pharmacon, cuius dosis minor, seu refracta nonnisi leviorem excitat organismi reactionem, et quod simul majori dosi exhibitum morbum itidem producere valeret, magis vel minus affinem morbo praesenti, uti e. g. hydrargyrosiu etc. Haec refracta dosis itidem debet reactionem aliquam organismi excitare et dummodo dosis non fuerit insufficiens, reactio ista itidem resuscitat energias priores. Sed cum reactio contra pharmacon exhibitum non plane sit eadem cum reatione contra morbum; etiam energiae reproductae aliae erunt. Sic reactio organismi mediante pharmaco augebitur et dummodo dosis pharmaci selecta conveniens fuerit, haec reactio combinata nunc forsitan morbo dispellendo sufficiens erit. Hoc itaque modo concipi poterit, quare facta, quae (§. 17.) adducta fuerunt, ex efficacia non tantum quantitatice sed etiam qualitative mutata explicanda sint.

§. 19. Si facta haec, quae (§. 17.) ex Ph. Caroli Hartmanni Pharmacologia citavi, inter se conferantur, sequentia deduci poterunt.

I. In genere dosis horum pharmacorum *refracta* est; adeoque de *regula* dosis talis seligitur, quae nonnisi modicam organismi reactionem elicit, seu cuius influxus chemicus parvus est. Sed regula haec non est universalis; verum do-

sibus, quae consuetam quantitatem superant, interdum pharmaca in eundem finem (cf. §. 17.) exhibentur. Sic Phil. Carol. Hartmann narrat, spasmos a se sanatos fuisse quantitate kali carbonici, quae consuetam dosin longe superavit. Sic Caspari choleram asiaticam in ultimo stadio saepe feliciter tractavit balneis et largis affusionibus frigidis. Imo et torpor typhi solet cedere embrocationibus largis frigidis. Sed hisce in casibus pharmaca (si jam frigus, embrocationes etc. huc referre licet) non talia erant, quae tam facile vim vitalem exhauirent; et subjecta debent ea fuisse, quorum energia vitalis satis magnam adhuc depressionem perpeti poterat, donec tandem antagonismus elicitus sanationem produxerit. Haec autem in genere affirmari non poterunt de pharmacis, quae (§. 17.) recensui; quis enim auderet e. g. oxydum cupri, zinci aut sales horum metallorum ad sanandos spasmos ea quantitate prescribere, quae major est, quam dosis emesin ciens?

II. Pharmacon, quod modo (§. 17.) descripto adhibetur, sine dubio oppositionem aliquam involvit cum iis, quae praesentem abnormem affectionem produixerunt. Quis enim auderet, ad vomitum et spasmos removendos, qui usu cupri, zinci etc. enati sunt, parvam dosin cupri, zinci etc. praescribere? Quis ad ebrietatem tollendam suaderet parvam dosin ejus potus, qui ebrietatem produxit? Utique id faciendo in hisce casibus nonnisi augeremus statum abnormem, qui jam adest, donec energia nimis incitatorum organorum ad aliquod temporis spatium, vel usque ad organismi destructionem exhauiretur; nonnisi continuaretur et augeretur influxus nocivus, qui jam vicit organismum et forsitan non amplius aut cum nimia energiae vitalis jactura vincendus esset. —

Dantur quidem casus alii, in quibus stimulus morbum producens continuatur, et continuari debet, ut similitas redire valeat. Sic qui refrigerio asphyxiā subiit, non

potest in eum mox reduci statum, cui stimulus frigoris desit; qui partem corporis comburit, non quidem nova combustionē sed temperatūra tamen aequabili et calida eget ad sanationem cito efficiendam (sive nunc pars combusta gossypio sive alia materia influxum inaequabilis et frigidioris temperatūrae arcente obtegatur). In his autem casibus celerior ad extrema transitus, qui organismū nimio in gradu stimularet, et facile vires exhauriat, vitatur et vitari debet, et sic energia naturae dein, praecipue aliis remediis accendentibus adjuta, facilius sufficiet sanitati restituendae. Sive itaque remedia contra affectionem morbosanū adhibita, et ejusdem naturae cum praecedentibus stimulis inimicis, ipsum morbum augeant, et sic magis pessum dare valeant organismū, sive autem minori in gradu adhibita arcent transitum celeriorem ad extrema, et sic saltem negative (seu si ita placet: mediate) sanitatem recuperandam adjuvent; in nullo tamen casu sunt media, quae qua talia antagonismū resuscitant, et hoc sufficienter resuscitato normalitatem reducant. Ut itaque pharmaca (§. 17.) descripta hoc modo utiliter agant, non ejusdem indolis, sed aliquam oppositionem involventis, ergo similis naturae debent esse, seu similitudo inter ea et inter praecedentem stimulum, morbi causam, debet intercedere.

III. Alioquin patet usum talium pharmacorum nihil valere, quamprimum vires jam ita fuerint exhaustae, ut auctionem energiae alioquin stimulo jam praecedente nimis intensae, et depressionem antagonismi jam nimis depresso, nec minimam ferre possint. Manifeste enim tali in casu pharmaca, quae vi oppositionis suae augmentum energiae vitalis, alioquin jam intensissimae augerent, organismū pessum darent. Hinc in *subjectis vere exhaustis applicari non poterit hoc genus pharmacorum*. Nec unquam (quantum scio) cuiquam in mentem venit, marasmus, exhaustionem juvenilem et atrophiam infantum aliis remediis curare, quam nutrientibus, aut si fors assuetatio id

postulet, hinc inde etiam stimulantibus etc.; nemo autem his in casibus adhibet pharmaca eo fine, ut simile simili expellat.

**IV.** Denique antagonismus resuscitatus debet *sufficiens* esse deprimendae nimiae aliorum systematum energiae, antequam horum influxus adhuc continuatus organismum pessimum dare valeat. Aut an nulli casus possibles forent, in quibus, uti in apoplexiis sanguineis, nervosis, in pneumoniis etc. remedia hujus speciei non producerent antagonismum, antequam — ob stagnantem sanguinem et vim nerveam penitus oppressam — vis vitalis haud amplius resuscitari posset? An non dantur casus, in quibus omissa evacuatio ventriculi etc. nimis exhaustire posset vim vitalem, et unus talium remediorum (§. 17.) satis cito materiam plane non digerendam (aut assimilandam) reinveneret? (cf. §. 5.)

§. 20. Quod restrictionem dosium adtinet, majorem in pharmacologia (§. 17.) citata non inveni, quam eam, vi cuius  $1/30$ ,  $1/32$  pars grani pro nycthemero exhibeat. Sic Phil. Carol. Hartmann narrat se effectus salutares expertum esse de  $1/32$  parte grani strychninae pro nycthemero. Si dosin hanc in plures hamaphagicas dividere voluerimus; ad summum  $1/192$  aut si numeros velimus rotundos,  $1/200$  pars grani dosin hamaphagicam constitueret.

Notum est restrictionem dosium hoc saeculo longe magis et quidem ad billionesimas etc. partes auctam fuisse. Sententia medicorum de hac diminutione discrepat, et proinde antequam propriis observationibus opinionem tuam fulcire queas, nil remanet, nisi ut audias in judicium, quod de hac re ferunt medici a partim studio liberi, simulque practici celebriores.

Venerabilis senex Fr. Bene (cf. elementa medicinae practicae III. pag. 43. sqq.) dicit: „Hahnemann impense commendat contra ulcera syphilitica usum hydrargyri, — — — unam billionesimam partem grani hydrargyri ad ul-

cera syphilitica intra quatuordecim dies sananda. De suis observatis *vera dixisse* auctorem *admittimus*; apud nos tamen medicina illius *inefficax* est. Nam zelosi ejus discipuli in aegris — — — cum omni cautela praescripta scrupulo-se adhibuerunt remedium etiam ultra ter quatuordecim dies, donec et ulcus extendi et luis syphiliticae symptomata evolvi observassent. Tunc morbus dosi *majori* hydrargyri sanatus est!“

G. L. Ran (cf. *Über den Werth des homöopathischen Heilversfahrens* 1835. pag. 188. sqq.) citat casus, in quibus doses recentiori modo imminutae syphilin auferre non valuerunt, et addit: *minorem* dosin, quam circiter  $1/20$  partem calcis mercurialis, eamque saepius repetitam, sanationi producendae haud sussecisse. — Similia asserit Fr. Hartmann (cf. *Beiträge zur angew. Pharmacodyn.* 1835. II. 3 p. 96. 109.)

Ferd. Jahn (cf. *Versuche über die praktische Heilkunde* 1835 pag. 159—169) narrat, strumam, quae in pagis Isenacum adjacentibus etc. valde frequens occurrit, atque ab aquae qualitate etc. derivatur, nunquam ibi sanitam fuisse dosibus jodinae sic dictis homöopathicis. Tentavit itaque curam dosibus majoribus et quidem  $1/60$  parte grani pro dosi hamaphagica; sed etiam dosibus his non nisi struma recenter orta sanari potuit. Itidem contra ulceræ vere syphilitica adhibnit  $1/60$  partem grani calcis mercurialis pro dosi hamaphagica prospero aliquoties cum successu, sed syphilis secundaria aliquoties tamen nec huic dosi cessit, et doses ab Hahnemann laudatae continuo inefficaces inveniebantur. — Idem asserit, efficaciam horum medicaminum restrictissima dosi exhibitorum ita tentandam esse, ut morbi seligantur sine pharmaciis non curandi. Alias enim experimentis quibuscumque erui plura non posse, quam: dosis restrictissimae usum sapere methodum expectativam (cf. pag. 46.); licet in *multis* casibus concedendum sit nullum remedium esse melius quam anceps, et eattenuus medici cujuscunque et proinde quoque Hahnemannii negotiosum nec rarum „far niente“ conducere.

---